

In nomine dei eterni et salvatoris nostri Iesu Christi amen.

Fredericus divina favente clementia Rex Sicilie ducatus Apulie et principatus Capue. In conspectu divine maiestatis de cuius manu venit, ut cum felicitate regnemus, aliqua semper offerre volentes, que deo grata resideant et accepta religiosis personis eo libentius favorem volumus regie benignitatis impendere, quo magis [illegible] sima deum [illegible] reges ad beneficia [illegible] et ad eius obsequium non [illegible] allicere et invitare. Cum igitur [illegible] regis regum religiosa loca pia consideracione respicere teneamur, considerantes [illegible] fervorem religionis que in sacro monasterio quod porta celi dicitur et antea Tenibac vocabatur per exhibicionem operis domino exhibetur, ut nostre benignitatis favorem agnoscat illius intuitu apud quem nec meritum deperit nec quicquam irremuneratum relinquitur, pro remedio quoque animarum quondam parentum nostrorum divorum augustorum memorie recolende, ad instanciam fratris Corradi monachi de gratia serenitatis nostre concedimus et confirmamus eidem monasterio in perpetuum predium [Immundigam?] quod idem monasterium ab hospitalariis emit et [Verstetten?] quod Corradus de Swarcenberc advocatus et uxor eius eidem monasterio contulerunt cum omnibus appendenciis suis. Concedimus quoque eidem monasterio et confirmamus omnia quecumque concessione pontificum, largicione principum, dono comitum vel baronum et aliorum oblacione fidelium in presenciarum iuste et racionabiliter possidet aut in futurum iusto titulo prestante domino poterit adipisci, ut sic supradictum monasterium nostri favoris plenitudine gaudeat et in statu prosperis consistat. Ut autem hec nostre pietatis concessio firma sibi et illibata subsistat presens nostre maiestatis privilegium per manus Aldoini notarii et fidelis nostri scribi et nostre maiestatis sigillo iussimus communiri anno mense et indictione subscriptis.

Data in civitate Cathanie per manus Gualterii de Palearia venerabilis Cathaniensis episcopi et Regni Sicilie cancellarii anno dominice incarnacionis millesimo ducentesimo decimo mense Ianuarii tercie decime indictionis. Regni vero domini nostri Frederici dei gratia illustrissimi regis Sicilie ducatus Apulie et principatus Capue anno duodecimo feliciter amen.

König Friedrich II. für Kloster Tennenbach im Breisgau, 1210 Jan. (BF 622)